

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

75. Acetum cum spiritu Vini mixtum Basilii

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

in vini spiritum, ut ambo paulatim commiscerentur, quæ ita invicem commixta porrò digessit per dies decem. Idem menstruum describitur a Trithemio.

74. Aqua fortis cum spiritu vini mixta Trithemii.

Pag. 46. aurei Velleris Germ.

℞. Spiritus vini libras tres, Vitrioli, Nitri, ana libram unam, destilla spiritus Aquæ fortis in prædictam Aquam vitæ, digere per octo dies.

Quantitas hæc Aquæ fortis insufficiens est ad dissolvendum libras tres spiritus vini; forsitan pro libris totidem intelligendæ sunt uncia. Nullum hic requiritur artificium, dummodo Acidum & oleosum commisceantur invicem. Olim, vice Aquæ fortis, Adepti usi fuere Aceto destillato pro hoc Menstruo. Ita

75. Acetum cum spiritu vini mixtura Basilii,

Cap. de Wein Essig. in Repet. Lapidis.

Der Wein Essig (Acetum Vinum, verbum indeclinabile simplex) non est Acetum Philosophorum, quod liquor alius est, ipsa videlicet lapidis materia, quoniam ex Azot Philosophorum, conficitur lapis Philosophorum. Acetum vinum vero componitur ex communi Azot destillato (Aceto com.) & spiritu vini (videlicet philosophici:) Et alibi libro de Particularibus de particul. Veneris.

De hac, inquit, præparatione modo locutus fui parabolicè in libro Clavium (in Repetitione) capite de Wein Essig, ubi dixeram quod commune Azot (Acetum) non sit materia lapidis, sed Azot nostrum sive materia prima extractum è com-

munis Azot & Vini, quod compositum succus expressus dicitur uvarum immaturarum, quo cum veneris corpus dissolvendum & in vitriolum redigendum (*deinde in Azot nostrum, primam lapidis materiam, mercurium philosophorum, spiritum mercurii ex vitriolo, &c.*) quod optimè observabis, ut à multis laboribus & periculis sis immunis. Mercurius Philosophorum, inquit libro de conclusionibus sect. 2. de vitriolo Philosophorum, sive materia prima lapidis arte conficienda venit, nam nostrum Azot non est commune Acetum, sed extractum mediante communi Azot.

Quamvis itaque ex communi Azot vel Aceto destillato & vini phil. spiritu menstruum confici possit philosophicum, ut & in quorundam corporum dissolutionibus sufficiens & appropriatum; nihilominus, quoniam præsertim in metallorum, mineraliumque usu alchymico sit minus acutum, ideo Aceti loco sumpsere Adepti Aquam fortem, ut videlicet eò citius sua perficerent opera.

Scias inquit Isaacus Hollandus, majores nostros in arte laborasse variis modis, atque tamen ad unum eundemque finem pervenere, verum lapis eorum non æquè magnam projectionem fecit, hic altam, ille longam, prout opera (*menstrua*) acuta fecere aut alii coloris. Nonnulli diu desudarunt, antequam lapidem produxerunt; alii acuminè ingenii tempus abbreviarunt, ut jam quotidie fit multo sudore & labore. Nostri majores alii tres annos, alii quatuor laboraverunt antequam lapidem produxerunt, illis enim temporibus aqua fortis erat incognita, ac non nisi Aceto destillato utebantur, nunc eorum posterius aquas fortes adinvenere quod opus multum abbreviavit. *Cap. 6. libr. 2. Oper. min. pag. 423. Volum. 3. Theat. Chym.*

Ad illud usque tempus corpora erant aperienda lentè, videlicet calcinando, reverberando, solvendo in acri nostro Aceto, (*Aceto cum spiritu vini phil. mixto*) idque posterius animadvertentes acumen mentis exacuerunt, ac aquam fortem adinvenierunt, quæ viam illis multum abbreviavit. *Cap. 77. libr. 2. oper. min. pag. 358. Volum. ejusdem.*

Adepti non Aceto & aqua forti tantum, sed omni spiritu acido non tingente, videlicet salis, sulphuris, &c. hunc vini phil. spiritum dissolvebant, ut præsens conficerent menstruorum genus. Ita præparatur

76. Spiritus